



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1561. usque ad annum 1562

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 90118596**

§. 96. Hujus diplomatis dilucidato ab Archiepiscopo petita.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66624](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66624)

Sæcul. XVI.  
A.C. 1561.  
 „rum totius orbis Ecclesiarum iuribus  
 „inchoetur, quapropter vos omnes oro,  
 „atque obtestor, ut nunc, cujus mentis  
 „Pontifex in suo diplomate fuerit, ex-  
 „plicare velitis: mihi enim firmiter  
 „persuasum habeo, quod tam laudandum  
 „Pontificis studium, quo ad sacræ Sy-  
 „nodi conuocationem fertur, pariter i-  
 „psum inducat, ut legitimam cuiusli-  
 „bet Episcopi dignitatem, illiusque con-  
 „seruationem æque, ac proprii sui ho-  
 „noris integritatem cordi habere fata-  
 „gat: porro id eo certius spero, quo fir-  
 „mius perspectum mihi est, quod sum-  
 „mus Pontifex eandem foveat animi  
 „sententiam, qua inclaruit Gregorius  
 „Magnus Papa, qui solitus erat dicere,  
 „quod ipsius gloria non sit alia, quam  
 „gloria universalis Ecclesiæ, ipsiusque  
 „honor consistat in conservandis hono-  
 „ribus, ac dignitatibus cuiuslibet Episco-  
 „po debitis. „

## §. XCVI.

*Hujus diplomatis dilucidatio ab Ar-  
chiepiscopo petita.*

*Vie de  
Barth. l. 2. c. 6*

**H**is addebat Archiepiscopus; „si dun-  
 „taxat de me, aut privato meo  
 „commodo ageretur, omnibus cedere  
 „paratus essem: cum vero de Ecclesiæ  
 „mihi commissæ prærogativa quæstio  
 „mouetur, ex Dei, ac sacrorum Cano-  
 „num



Sæcul. XVI.  
A.C. 1561.

„num præscripto, necnon Sanctorum  
 „exemplis, quæ in ejusmodi eventibus  
 „exstant, illud jus, cujus depositum mi-  
 „hi creditum est, conservare, illudque  
 „ad Episcopos meos Successores devol-  
 „vere teneor, prout etiam mei Præde-  
 „cessores illud in me transmiserunt. „  
 Denique suas rationes tanta animi con-  
 stantia, simulque tam rara moderatione,  
 ac circumspectione proferebat, ut Le-  
 gati verborum pondere, atque auctori-  
 tate commoti hæc responderent: *Cum*  
*dubitari possit, an ex prædicto decreto*  
*Sanctissimi Domini nostri aliquod præju-*  
*dicium generetur Primatibus supradictis*  
*in proprietate, seu possessione suarum prima-*  
*tiarum, sive verarum, sive prætensarum:*  
*nos Hercules tituli Sanctæ Mariæ Novæ*  
*de Mantua, Hieronymus tituli Sanctæ Su-*  
*sannæ Seripandus, Stanislaus tituli San-*  
*cti Laurentii in Palisperna, Varmiensis, ac*  
*Ludovicus tituli Sancti Cyriaci in Ther-*  
*mis, Simonetta nuncupatus, Sanctæ Roma-*  
*næ Ecclesiæ Presbyteri Cardinales, Sacri*  
*Oecumenici Concilii Tridentini Præsiden-*  
*tes, & Apostolici de latere Legati, decla-*  
*ramus, quod mens Sanctissimi Domini no-*  
*stri, & nostra sit, quod per hoc Decre-*  
*tum nulli jus de novo acquiratur, nulli-*  
*que præjudicium generetur, nulliusque jus*  
*in proprietate, possessione lædatur, atque*  
*demum in omnibus, & per omnia unis-*

X 5

quis-



Sæcul. XVI. *quisque Primas, verus, vel prætensus,*  
A.C. 1561. *in eodem statu post hoc Concilium rema-*  
*neat, in quo antea permanebat.*

His addebant Legati, quod eandem declarationem scripto tradere velint. Archiepiscopus hoc responso contentus hæc afferuit: „cum salvum sit Eccle- „siæ meæ jus, haud dissimulare possum „ardens meum desiderium, quo unice „exopto cuncta, quæ ad pacem in Sy- „nodo conservandam conducent, pro „viribus meis conferre, ac proin sedulo „curare volo, ut omnes altercandi, aut „dissidia inter Episcopos fors movendi „occasiones præverterentur.„ Hacita- que ratione totum hoc negotium feliciter compositum est.

## §. XCVII.

*Sextus Legatus reliquis quinque jam nominatis a Papa adjunctus.*

*Pall. c. 13.*  
*n. 10.*

Ceterum Papa ad Legatos præfatum diploma recta dirigebat, atque in eo sigillatim omnes nominabantur Legati, ne quidem excepto Cardinale Puteo, qui tamen tunc absens erat, ac propter adversam valetudinem vix ullam spem reliquam fecerat, fore, ut Synodo interesse posset, quocirca summus Pontifex sextum Legatum Marcum Siricium Altempesium Nepotem suum, ac Constantiensem Episcopum nominabat, spe fretus,